

fit, in promptu patiens habeat morsellos vel rotu-
las ex speciebus diarrhodonis Abbat. aut de
tribus sandalis confectas, vt illis & ante balne-
um & post balneum vti possit. Si alvi suppressio
assit, clystere ex eadem aqua, aut alijs rebus com-
munibus preparato subueniendum. Si capitis
dolor, is cum Saccharo rosato aut violato aut
diacitonite curetur. Sunt & alia symptomata,
qua patienti occurrere possunt, sed quia horum
cura ad medicum spectat, ideo consulto ea præ-
terimus. Hoc tamen quasi appendice monitos
agros volumus, vt omnem repletionem tam cibi
quam potus, etiam vsum Venereum, vt eo tem-
pore minime convenientem & commodum, vi-
tent. Ita rectè thermis nostris vtentur.

CAP. VI.

DE EO QUID FACE-
RE PATIENTES POST
vsum thermarum oporteat, cum
aut adhuc in thermis sunt,
vel iam discedunt.

OMNINO malè faciunt hi agri, qui post-
quam thermarum vsum ad finem deduxe-
runt, commestationibus & crapula plus quam
bæoticè indulgent, cum non intelligant, quod
cum vires ob thermarum impressiones aliquantè
sunt fessæ & debiles factæ, nec non humores

G 2

commo-

commoti, maius malum valetudini spontè accē-
 cersere possint. Ne autem hoc accidat, moneo
 illos & suadeo, vt non statim in fine vsūs aque
 calida, de loco discedant, sed vno aut duobus
 diebus aut pluribus etiam ibi commorentur, ne
 corpus adhuc apertum & motum aëri insueto
 subito exponatur, aut commoueat̃ur aliquid,
 quod commouendū non sit. Modicè igitur in
 oppidulo nostro obambulet, vt sensim calor &
 corpus aëri assuescant. Vitentur crapula, & in
 præscripta diæta de potione persistat spacio vni-
 us mensis aut mensis cum dimidio. Vitet omnes
 animi vehementes commotiones, & curet vt al-
 vus semper sit laxa. Omnino autem in hoc in-
 cumbat, vt peracto potu & lavatione, præser-
 tim autem lavatione, medicamentum non valde
 forte assumat, vt quod motum colliquatumve,
 aut non in locum idoneum protrusum sit, eva-
 cuetur. In itinere non vehementer moveri pa-
 tientes convenit, nec astuantes aut bibere aut
 comedere oportet, propter præcedentes medica-
 tiones. Sed sensim paulatim post remissum calo-
 rem, assumere aliquid conveniet, ne corpus
 aqua quasi renovatum ledatur. Corpus benè te-
 gat & vestibus muniat, ne aër externus illi ob-
 sit, vitetq; post ea omnia, quæ occasionem ad
 curatum morbum dederunt. Atq; hæc pauca
 de sexto capite indicata sint satis.